

ceam, mutuos sermones cædebamus, sententias varias, latinæ, græcæ, & germanicæ alternatim, ultrò citroque commentibus distinctè vocibus, certatim elocuti.

Phæn. VII. XII. Exonerabamus alio tempore nos, qui intra oppidum in Observatorio eramus, per cupream tubam sclopetum parvulum manuarium, alterique sodales nostri mox explosione similis alius respondebant; & crepitus quidem hic posterior in auribus nostris erat valdè debilis præter expectationem nostram; cùm prior ille in alterorum auribus (ita namque postmodum isti testabantur) fragorem sclopeti maximi esset imitatus. Cessavit autem statim admiratio tam inopinatò magnæ inter utrumque sonum differentia, cùm disruptam ex uno colli adhuc angustioris latere & longo latoque hiantem vulnere tubam papyraceam nobis, non sine dolore nostro, commonstrâssent: Fragorem quippe sclopi eâ tubæ angustia non ferebat materia lacerabilis debilitas, quem sustinere cupri major soliditas indemnis potuerat; quod idem tamen periculum eandem denuò subire nolebamus, ne nimio fortè constaret absque necessitate iteratum experimentum,

Phæn. VIII. XIII. Quin hujus loco alia quædam tentare deinceps lubuit ex quodam colliculo; cui ducentis circiter passibus ab oppido remoto aliàs echo occlamantium voces ex oppositis mœnibus gratâ quadam resonantiâ reddere solet. Hic primùm reflexos ex tanto intervallo sonos æquè validos hauriebamus auribus nostris, ac si ex adstantium ore eodem conatu, quo per tubam emissi fuerant, immediatè easdem percussissent: deinde in turrim primariam, quæ medium circiter oppidi tenet, directâ tubâ speculatorem è suo latibulo nominatim evocabamus, infimul, ut signum aliquod perceptæ vocis nostræ redderet, eum hortati: nec mora, ex latebris suis ille sese proripiens ac super exteriori speculâ sistens, arreptâ buccinâ bellicosum nobis lætus occinere.

XIV. An-